PRAELECTIONES

IN

VNIVERSITATE LITTERARVM
CAESAREA VILNENSI

A KALENDIS SEPTEMBRIBVS A. MDCCCXXI.
AD PRIDIE KAL. QVINTILES A. MDCCCXXII.

HABENDAE

INDICVNTVR



A

RECTORE ET SENATV ACADEMICO.

PRAEFATVS EST G. E. GRODDECK

DE AVLAEO ET PROEDRIA IN THEATRO GRAECORVM AD POLLVCIS ONOMAST. IV. 19. §. 121. 122.

VILNAE
EXCVDIT IOSEPHVS ZAWADZKI
ACADEMIAE TYPOGRAPHVS.

IN IVLII POLLVCIS ONOMAST. IV. 19. §. 121. 122. DE AVLAEO ET DE PROEDRIA IN THEATRO GRAECORVM.

Singularum theatri Graeci apud Pollucem descriptioni nonnulla, ad musicorum genus hoc certaminum quae in theatro agebantur universe spectantia, ab eodem Grammatico praemissa leguntur, e quibus in praesens duo loca, *de proëdria* et *de aulaeo*, paullo diligentius excutienda, et qualicumque nostra adnotatione illustranda selegimus.

Iam de sede illa, in concionum, ludorum, spectaculorum celebritate, primaria, quam προεδρίαν Graeci vocabant *a*), cuiusque honore non solum cives de republica egregie meritos, sed horum etiam in bello occisorum filios *b*), Senatus Populusque, tum Atheniensis, tum aliarum civitatum Graecarum *c*), donare solebant, pauca haec affert Onomastici auctor (IV. c. 19. §. 122. T. I. p. 422 sq.):

Πρῶτον δὲ ξύλον, ἡ προεδρία· μάλιστα μὲν δικαστῶν (ἐφ᾽ ὧν καὶ τὸν πρῶτον καθίζοντα πρωτόβαθρον Ἐπικράτης φησὶν ὁ κωμῳδοδιδάσκαλος)· ἴσως δ᾽ ἂν καὶ ἐπὶ θεάτρου κατὰ χρῆσιν λέγοιτο.

Primariae sedis honorem alio, eoque, si de theatro agitur, minus proprio vocabulo (πρῶτον ξυλον) designat *d*), idque tritiore

a) Vid. Schol. ad Aristoph. Equites vs. 579. Casaubon. ad Theophrasti Characteres cap. 5, 3. p. 70. ed. Fischer. — Hemsterhus. ad Pollucem VIII. §. 133. T. II. p. 958.

b) *Lesbonax* in or. exhortat. p. 34. ed. Orellii. *Ποῖος ἡδίων θάνατος; τίνες εὐκλεέστεροι ἀποθανόντες, ἢ οἱ οὕτω τελευτήσαντες; δημοσίου τάφου ἀξιοῦνται, θυσιαι ἐπὶ τούτοις γιγνονται, ἀγῶνες ἐπὶ τούτοις τίθενται· ἀντὶ θνητοῦ σώματος ἀθάνατον μνῆμα καταλειπουσιν· οἱ δὲ τούτων παῖδες δημοσίᾳ ἐκτρέφονται, τιμώμενοι πανοπλίαις, προεδρίαις, θαυμαζόμενοι καὶ ἐν χοροῖς, καὶ ἐν γυμνασιοις, καὶ ταῖς ἄλλαις συνουσιαις.*

c) Recte *Koehlerus*, acerrimus antiquitatis investigator, in exquisitae doctrinae commentatione, a Cel. *Morgensternio* in *Symbolis Dorpatensibus* (Dörptische Beiträge für Freunde der Philos. Litteratur u. Kunst) anni 1813. P. II. 1814. P. I. II. hoc indice primum vulgata: *Gab es bei den Alten Belohnungen des Verdienstes um den Staat, welche den Ritterorden neuer Zeit ähnlich waren?* pag. 10.: „Was von Athen gesagt werden wird, ist, wie die Folge lehrt, beinahe von allen griechischen Staaten zu verstehen."

d) *Ξύλον, βάθρον, ἑδώλιον, subsellium, sedes.* Vide Stephan. in Thes. T. I. p. 1138. — *Πρῶτον ξύλον Photius* in Lex. p. 347. explicat πρῶτον βάθρον ἢ

et generaliore illo, προεδρία, explicat, perhibens, πρῶτον ξύλον maxime quidem *iudicum* esse ac vocari, in primo subsellio sedentium; verum sermonis tamen usum haud obstare, quo minus eadem vox etiam ad primam ludos in theatro spectantium sedem transferatur. Sic enim iungenda esse scriptoris verba: μάλιστα μὲν δικαστῶν ..... ἴσως δ' ἂν καὶ ἐπὶ θεάτρου cet.: ut quae interiecta leguntur, ἐφ' ὧν καὶ τὸν πρῶτον καθίζοντα ..... διδάσκαλος, in parenthesi dicta accipiantur, et ipsius sententiae, et particularum μὲν — δέ, ad se invicem relatarum, ratio aperte docet. Neque aliter locum intellexerunt *Kühnius* e) et *Buttmannus* f).

Quae de proprio magisque frequentato usu vocabulorum πρῶτον ξύλον tradidit Pollux, quum Aristophanis auctoritate quodammodo firmentur, in Vespis vs. 90., tum ipsius poëtae orationi lucem affundunt:

Φράσω γὰρ ἤδη τὴν νόσον τοῦ δεσπότου.
Φιληλιαστής ἐστιν, ὡς οὐδεὶς ἀνήρ
Ἐρᾷ τε τούτου τοῦ δικάζειν, καὶ στένει,
Ἢν μὴ 'πὶ τοῦ πρώτου καθίζηται ξύλου.

Enimvero ex eodem Aristophane discimus, etiam *in concione populi* sedem primariam dictam esse πρῶτον ξύλον; in Acharn. vs. 25.:

Οἱ δ' ἐν ἀγορᾷ λαλοῦσι, κἄνω καὶ κάτω
Τὸ σχοινίον φεύγουσι τὸ μεμιλτωμένον
Οὐδ' οἱ Πρυτάνεις ἥκουσιν· ἀλλ' ἀωρίαν
Ἥκοντες, εἶτα δ' ὠστιοῦνται, πῶς δοκεῖς;
Ἐλθόντες ἀλλήλοισι περὶ πρώτου ξύλου
Ἀθρόοι καταῤῥέοντες. — — —

Ibi vetus interpres verba περὶ π. ξ recte interpretatur περὶ τῆς προεδρίας, auctore ipso Aristophane in eadem fabula vs. 42.:

Οὐκ ἠγόρευον; τοῦτ' ἐκεῖν' οὐγὼ 'λεγον·
Ἐς τὴν προεδρίαν πᾶς ἀνὴρ ὠστίζεται. *)

προεδρία. Ex quo loco, et ex *Hesychii* glossa v. Ξύλον· πρῶτον βάθρον, τὸ ἐν τῇ προεδρείᾳ, καὶ τῇ ἐκκλησίᾳ, καὶ τῷ δικαστηρίῳ, aliam eiusdem Photii glossam (Lex. p. 227.), Ξύλον πρῶτον, τὸ βάραθρον, corrigendam esse viderunt, post Albertium ad Hesych. l. l., Schleusnerus in Animadverss. ad Photii Lex. p. 57.

e) Ad Pollucem T. I. p. 423.: „Fatetur auctoritate veterum, πρωτόβαθρον et πρῶτον ξύλον dici de prima sede iudicum. Forte tamen, inquit, usurpari possit et de primo loco in theatro.“ In qua interpretatione non reprehendas, nisi quod ἴσως *forte* i. e. fortasse vertit. Quod in Lexicographo Graeco, florente adhuc lingua, vix ferendum videtur. Constat enim, vel ex H. Stephani observatione (Thes. I. p. 1728), particulam hanc interdum adhiberi locis quibusdam, ubi alioqui de re minime dubia agitur, adeo, ut addi videatur ad loquendum modestius. Quare hoc loco, scriptoris mentem attendens, verba ἴσως δὲ verterim *utique vero*; dictionis Graecae autem, imprimis Atticae, proprietatem respiciens: *sed pari, ut videtur, modo, aeque, haud minus.*

f) Ad Vitruvii vers. Rodianam T. I. p. 276.

*) Qui quidem locus, aeque parum ac Pollucis iste, mox commemorandus, favere videtur opinioni *Schoemanni* De Comitiis Atheniensium p. 55., con-

Nec diversum sentit *Pollux*, tum nostro loco, tum alio, lib. VIII. §. 133. T. II. p. 958., ubi de populi Atheniensis concionibus, tam in Pnyce quam in theatro Dionysiaco agitatis, locutus, pergit: Ἐκάλουν δὲ τὴν προεδρίαν καὶ πρῶτον ξύλον, καὶ μάλιστα *g*) ἐν τῷ δικαστηρίῳ τὴν πρώτην καθέδραν. H. e. *Proedriam autem vocarunt etiam* πρῶτον ξύλον, *et maxime in iudicum consessu primum subsellium.* Nam verba τὴν πρώτην καθέδραν etsi melius abessent, salva loci sententia, minime tamen pro singulari quodam primae sedis in tribunali nomine, ex scriptoris mente, habenda esse videntur: quae quidem *Kühnii* opinio fuit, scribentis ad hunc locum: „*Ergo in concione erat* προεδρία, *in iudiciis vero primus locus,* πρώτη καθέδρα. *Vid. Hesych. in* Νεμέσεις.“ Sed glossa haec Hesychii, codicis Ms. bibl. S. Marci auctoritate *h*) sic inscribenda: Νέμεσις θέας· Ἀθηναῖοι τὰς ἐν τῷ θεάτρῳ ψηφίσματι νενεμημένας προεδρίας ἱερεῦσιν: praeterquam quod in fine manifeste depravata est, nihil continet, quo firmetur Kühnii sententia. Maior accedit *Hesychii* auctoritas, ut efficiatur, vocabula πρῶτον ξύλον et πρῶτον βάθρον de proëdria tam in populi concione, quam in iudicum consessu usurpata esse. Cuius haec verba leguntur T. II. p. 705 (loco supra iam laudato in not. *d*): Ξύλον· *i*) πρῶτον βάθρον, τὸ ἐν τῇ προεδρείᾳ, καὶ τῇ ἐκκλησίᾳ, καὶ τῷ δικαστηρίῳ. —

Post haec omnia sane mirum videbitur, quid induxerit *I. C. Scaligerum* atque *Bulengerum*, ut ex Pollucis loco, quem tractamus, colligerent, *Athenis iudices principem in theatro sedem tenuisse.* Ita prior in libro suo *de Comoedia et Tragoedia* (Thes. AA. GG. Gronov. T. VIII. p. 1535.) „In primo ordine, inquit, sedes erant Iudicum; is locus προεδρία fuit appellatus, in qua qui sederat primus, eum Epicrates, antiquus comicus, appellavit πρωτόβαθρον.“ (Secundum Hesychium h. v. τῆς προεδρείας ἀξιωθέντα.) Et *Bulengerus* (De Theatro lib. I. c. 30. in Thes. AA. RR. Graev. T. IX. p. 888 D.) „Prima, ait, sessio dicitur primum lignum, ubi Iudices sedebant. Epicrates eum qui primus sedet

iicienti, in media Pnycis parte fortasse *lignea* fuisse *subsellia*. Alioquin in *theatro* etiam lignea sedilia exstructa esse admittendum foret. Nam de his quoque πρῶτον ξύλον dici posse, Pollux auctor est. Vide infra, in primis notam *p*).

g) μάλιστα. Adverbium hoc, quod a vulgatis libris abest, e Cod. ms. recipiendum duxi, sensu id postulante, atque ipso Polluce (IV. §. 122) quasi auctore. Suasit etiam Iungermannus. Vnde vero lectio fluxerit, quam in Commentariis ad Aristoph. Comoedias editore *Dindorfio* Vol. V. Acharn. vs. 25. p. 35. a doctissimo *Elmsleio* enotatam vidi: ἐκάλουν δέ τινα προεδρίαν, καὶ πρῶτον ξύλον, ignoro. Certe commodo sensu prorsus destituta est, nisi forte τινες pro τινα ab auctore lectionis scriptum fuisse coniicias.

h) Vid. *Schowium* in Supplem. ad edit. Hesychii Albertinam p. 559.

i) Fortasse excidit πρῶτον, quum statim sequatur πρῶτον βάθρον. Nam vix credibile est, simplici vocabulo ξύλον *primariae* sedis vim adhaesisse. Idem sensisse videtur *Bulengerus* De Theatro I. 30. in Thes. AA. RR. Graev. T. I. p. 888., qui Hesychii verba describens, tacite correxit: Ξύλον πρῶτον, πρῶτον βάθρον κ. τ. λ. Idem, ut hoc obiter moneam, eodem loco, Pollucis verba IV. 19. §. 121. ἐφ᾽ ὧν καὶ τὸν πρῶτον καθίζοντα, πρωτόβαθρον Ἐπικράτης φησὶν ὁ κωμῳδοδιδάσκαλος ita laudat: ἐφ᾽ ᾧ καὶ τὸν etc. nimirum ut referantur ad πρῶτον ξύλον, non ad δικαστῶν. Quem secutus esse videtur *Rodius* (Vitruv's Baukunst T. I. p. 276), ita vertens: „*Πρῶτον ξύλον heisst der Vor-*

inter iudices, vocat πρωτόβαθρον. Pollux: πρῶτον δὲ ξύλον κ. τ. λ." *l*) Paucis tum interiectis, quasi veritus, ne placitum singulare forte offenderet, per coniecturam, quam *Stieglitzio*, viro doctissimo, non solum probatam, sed pro re certa traditam esse nollem *m*), quaerit: „*Haud scio an proëdriam quinque iudices, qui ius Comicis reddebant, habuerint.*" Sed iam *Hesychii* locus voce Πέντε κριταί T. II. p. 911. *n*), quo quasi argumento utitur Bulengerus, satis docet, quod vel aliunde, et ex ipso Polluce *o*) constat, iudices in scenicis his certaminibus proprio nomine κριτὰς appellatos fuisse, nunquam δικαστάς, qui causas forenses iudicabant. Cf. Platonem de Legg. II. p. 659. Steph. T. I. p. 58 ed. Ast. De *his* igitur ut Pollucis verba intelligas, non de fabularum in scena peractarum arbitris, constans sermonis Graeci usus postulat.

Ceterum quae paullo post apud nostrum sequuntur, ἴσως δ' ἂν καὶ ἐπὶ θεάτρου κατὰ χρῆσιν λέγοιτο, vereor ut satis integra habeamus. Aut enim, librariorum satis obvio errore, alterum κατά, cum χρῆσιν componendum, excidisse, et genuinam loci scripturam ἴσως δ' ἂν καὶ ἐπὶ θεάτρου κατὰ κατάχρησιν λέγοιτο fuisse suspicor; aut pro vulgato κατὰ χρῆσιν, quum fortasse extremarum syllabarum compendium in ultimo vocabulo librarius haud intellexerit, καταχρηστικῶς legendum esse putaverim. Commodissima sic exit universi loci sententia: Πρῶτον ξύλον h. e. προεδρία maxime quidem primariam iudicum (in dicasterio) sedem significat; haud minus tamen *sensu improprio p*) etiam de theatro (i. e. de primo in theatro sedili) *dici poterat.* Κατάχρησις, καταχρηστικῶς, *abusio, per abusionem, abusive.* Cic. in Or. c. 27. „Aristo-

dersitz, besonders der Vordersitz der Richter, auf welchem *auch der, der zuerst sitzt, vom Komödienschreiber Epikrates* πρωτόβαθρος *genannt wird.* Cui emendationi, utcumque lenitate sese commendet, quum, quod sciam, libri mss. haud suffragentur, lectio vulgata ἐφ' ὧν scil. *δικαστῶν in quibus, inter quos*, apud illius aetatis scriptorem vix posthabenda esse videtur.

l) Ne *Casaubonus* quidem ab hoc errore immunem se servavit, in Commentario ad Theophrasti charact. V. 3. p. 71. haec apponens: „Fuit praeterea et *iudicibus suus locus in theatro:* quem locum πρῶτον ξύλον dixerunt. Pollux libro quarto: *Πρῶτον ξύλον, ἡ προεδρία, μάλιστα δικαστῶν.*"

m) *Encyklopädie d. bürgerl. Baukunst* T. IV. p. 548.: „Die vordersten Reihen der Sitze in dem Theater waren *für die Richter, welche die Schauspiele beurtheilen, und den Dichtern die Preisse zuerkannten,* und für die obrigkeitlichen Personen bestimmt, so wie auch für die Heerführer und Priester." In margine testis laudatur Pollux Onom. lib. IV. c. 19. Sect. 121.

n) *Πέντε κριταί· τοσοῦτοι τοῖς κωμικοῖς ἔκρινον, οὐ μόνον Ἀθήνησιν, ἀλλὰ καὶ ἐν Σικελίᾳ.* Adde *Photium* in Lex. p. 301. *Πέντε κριταί, οἱ τοὺς κωμῳδοὺς ἀποδεικνύμενοι.* et eumdem Hesychium voce *Ἐν πέντε κριτῶν.* Cf. Aristoph. Av. 445. *Ὄμνυμ' ἐπὶ τούτοις, πᾶσι νικᾷν τοῖς κριταῖς Καὶ τοῖς θεαταῖς πᾶσιν.*

o) In Onom. III. 30. §. 145. T. I. p. 341. *Τοῖς μὲν μουσικοῖς κριταὶ κάθηνται.*

p) Nam sedilia in theatro non lignea, sed *e lapide* constructa erant. Haec igitur nominis ratio, quam quaerebat vir ingeniosissimus, *Genelli*, in libro qui inscribitur *Das Theater zu Athen* p. 38.: „Weil die Reihen von unten hinauf gezählt wurden, so hatte bei den Griechen die vorderste an der Orchestra den Namen Proton xylon erhalten." Ad quem locum infra haec adnotavit: „Das *erste* oder *vorderste Holz.* Der Name findet sich b im Pollux (lib. IV. 19); *wo er aber herrührt, an einem steinernen Gebäude, ist mir unbekannt geblieben.*"

teles autem translationi haec ipsa subiungit, et *abusionem*, quam κατάχρησιν vocant: ut quum *minutum* dicimus animum pro parvo, et abutimur verbis propinquis, si opus est, vel quod delectat, vel quod decet." Adde Rhetorica ad C. Herennium IV. 33. Quintil. VIII. 2. 5. et 6. 34. X. 1. 12. Hesychium voce καταχρηστικῶς. Cf. I. C. Th. Ernestii Lex. Technolog. Latinor. Rhet. p. 3. Eiusd. Lex. Technol. Graecor. p. 176. — Denique λέγοιτο ἄν dictum puta ex Atticorum more, pro ἐλέγετο ἄν, docente Eustathio ad Iliad. V. p. 562.: Ἐστὶ δὲ Ἀττικὸν, τὸ ἀντὶ παρῳχημένων χρᾶσθαι τοῖς εὐκτικοῖς. οἷον τὸ ἔλθοι ἀντὶ τοῦ ἦλθε, καὶ τὸ δράμοι, ἀντὶ τοῦ ἔδραμε, καὶ τοῖς ὁμοίοις, ὧν ἡ χρῆσις ἀπειροπληθής. Quo loco utitur *Heynius* in Obss. ad Homeri Iliad. V. vs. 311. p. 59. Neque in particula ἄν, Optativo adiecta, quidquam dubii vel incerti significatus quaerendum, quasi Pollux de vocis πρῶτον ξύλον ad theatrum relatae usu dubitasset, aut incertus fuisset. Ita *Plato*, ab Hoogeweenio ad Vigerum p. 480 laudatus, in primo de Legibus p. 634 extr. (p. 22 ed. Ast.): Ὑμῖν μὲν γὰρ, εἴπερ καὶ μετρίως κατεσκεύασται τὰ τῶν νόμων, εἷς τῶν καλλίστων ἂν εἴη νόμων κ. τ. λ. *Astio* interprete in Animadverss. p. 45 sq.: „*Si quae legum vestrarum bonae sunt*, *haec certe optima est*, h. e. Inter omnes leges bonas, quas habetis, haec excellit." *Hoogewenio* l. l.: „Nam siquidem vobis satis aequae sunt leges, haec certe inter omnes *facile* eminet." Similis fere vis est verborum, quibus nostrum locum apud Pollucem latine reddere tentavimus: *Haud minus tamen*.... etiam de theatro *dici poterat*, pro *dicebatur*.

Sed satis iam πρῶτον illud ξύλον nos exercuit. Restat ut *de aulaeo* dicamus, cuius, paullo post superiora illa de proëdria, mentionem fecit Pollux verbis quae sequuntur:

Ἔξεστι δὲ καὶ τὸ παραπέτασμα αὐλαίαν καλεῖν, Ὑπερίδου εἰπόντος ἐν τῷ κατὰ Πατροκλέους· οἱ δὲ ἐννέα ἄρχοντες εἰστιῶντο ἐν τῇ Στοᾷ, περιφραξάμενοι τὸ μέρος αὐτῆς αὐλαίαις.

„Quod παραπέτασμα dicitur, licet etiam *aulaeum* vocare, auctore Hyperide, cuius in oratione de Patrocle haec leguntur: Novem vero archontes in Stoa sive porticu epulabantur, cuius partem *aulaeis obsepserant*."

Significationis αὐλαίας et παραπετάσματος affinitatem Lexicographi Graeci ad unum fere omnes agnoscunt. *Etym. M.* voce Αὐλός p. 170, 29. Sylb. λέγονται δὲ αὐλαῖαι καὶ τὰ παραπετάσματα τῆς σκηνῆς, ὡς παρὰ τῷ Θεολόγῳ. *Hesychius* v. Αὐλαία ..... ἢ τὸ τῆς σκηνῆς παραπέτασμα. Eadem repetit auctor Lexici Seguer. ab *Imm. Bekkero* primum editus in *Anecdotis Graecis* T. I. p. 463. Αὐλαία τ. τ. σκ. παραπ. Κέχρηται δὲ αὐτῷ Ὑπερίδης ἐν τῷ κατὰ Πατροκλέους. Denique *Suidas*, qui Pollucem partim exscripsit, partim auxit, T. I. p. 379 Küst. Αὐλαία τὸ τῆς σκηνῆς παραπέτασμα. Κέχρηται δὲ αὐτῷ Ὑπερίδης ἐν τῷ κατὰ Πατροκλέους. Πολύβιος· Ἀκούων ταῦτα πάντα διὰ τῆς αὐλαίας, ἐγέλα ὁ βασιλεύς. Καὶ αὖθις· ὁ δὲ λαβὼν ἐκ τῆς παραπετασμένης αὐλαίας καλώ-

διον, ἑαυτὸν ἀπεκρέμασε *q*). Vel sic tamen haeremus in explicatione Pollucis, quia multiplex utriusque vocabuli, παραπετάσματος et *aulaei*, habetur significatio. Modo enim *vestes stragulae* intelligi possunt, quibus lecti mensaeve insternuntur, aut parietes aedium atque ianuae cubiculorum teguntur, ut in illo Virgilii Aen. I. 701.

— — — *Aulaeis* iam se regina superbis
aurea composuit sponda mediamque locavit.

Modo *vela suspensa*, sive *cameris tricliniorum* super mensam cui convivae accumbunt; de quibus lepidos Horatii versus (Sat. II. 8. 54.)

Interea suspensa graves aulaea ruinas
In patinam fecere, trahentia pulveris atri,
Quantum non Aquilo Campanis excitat agris.

vulgo accipiunt Interpretes, dissentiente tamen doctissimo *Zea* T. I. p. 164.: sive, gliscente luxu, *theatris Romanorum desuper inducta*, ut a caeli intemperie aestuque solis populum ludis operam dantem tutarentur *r*). Modo indicatur *siparium*, (*Vorhang*, *Cortina*, *la toile*), figuris intextis magnifice ornatum, quo ex inferiore parte in superiorem sublato obtegi, ex superiore autem in inferiorem demisso aperiri spectantibus scena perhibetur. Cuiusmodi velum pulchrae comparationis materiem dedit Ovidio in Metam. III. 111-114.:

Sic ubi *tolluntur* festis *aulaea* theatris,
Surgere signa solent, primumque ostendere vultus,
Cetera paullatim, placidoque educta tenore,
Tota patent, imoque pedes in margine ponunt.

Quocum comparandus locus Virgilii in Georg. III. 25.:

Vel scena ut versis discedat frontibus, utque
Purpurea intexti tollant aulaea Britanni.

nondum tamen ille, vel post Heynii et Vossii curas, si sententiarum seriem, ipsamque verborum structuram spectas, satis explanatus.

In hac significationis ambiguitate quaeritur, quid Pollux intellexerit. *Stieglitzius*, in libro saepius a me laudato (T. IV. p. 589.), παραπέτασμα hoc loco ingens velum illud supra spectatorum sedilia extentum significari censet *s*), quamvis adiectum a Polluce,

q) Extremum hoc Polybii fragmentum, ὁ δὲ λαβὼν etc. a Suida bis, sed cum lectionis quadam varietate, repetitum, sub voce Ἀρχίας et Κένοι T. II. p. 296., legitur etiam in Excerptis Valesianis p. 170. in edit. Schweighäuseri T. IV. p. 598, ubi vid. not. crit. et Lexicon Polybian. T. VIII. P. II. pag. 101.

r) Veli huius meminere Vitruvius in praefat. ad lib. X. T. I. p. 288 Schneid. — Valerius Max. II. 4. 6. — in primis Plinius H. N. XIX. c. 6, quae loca enotavit *Rodius* ad Vitruvii vers. germ. T. II. p. 240.

s) Eamdem sententiam, sed moderatius tamen, tuetur, atque nova de instituti huius origine coniectura confirmat vir praestantissimus in libello nuper

explicationis causa, vocabulum *αὐλαία*, quo imprimis, quum de theatro agitur, siparium sive aulaeum scenae obtentum indicatur, ut de *hoc* potius cogitemus, suadere possit. Primo enim ait vocem aulaeum, hoc verbi sensu, a Polluce usurpari non potuisse, quum a Graecis illud theatris prorsus abfuisse constet. Unde patere, scriptorem vocem hanc generaliori significatione pro *veste stragula* posuisse. Deinde ipsam vim vocabuli *παραπέτασμα* satis ostendere, de aulaeo scenam claudente vel aperiente haud cogitandum esse. — Iam quae prior allata est ratio, nimium probare videtur: quandoquidem aeque desunt certa argumenta, ex quibus ipsa theatra velis tegere in usu fuisse Graecis efficiatur. *Vitruvio* enim teste (lib. V. c. 3. et 9.) theatra aperta, nullo tecto constrata, sed solis et aëris vi obiecta fuere; post scenam autem porticus exstructae erant, „uti, quum imbres repentini ludos interpellaverint, habeat populus, quo se recipiat ex theatro." Cuius auctoritatis gravissimae quantumvis memor Stieglitzius *t*), in Pollucis tamen loco allato argumentum reperisse sibi visus est, ex quo palam fiat, Graecos etiam morem hunc universa theatra velis obtegendi, recentiore certe aetate ab Romanis acceptum, introduxisse. Extremum hoc, etsi veterum scriptorum testimonia sileant, temporum vero ratio etiam adversetur, in medio tamen relinquimus. Illud vix concedendum putamus, Pollucis locum pro more hoc pugnare. Quidni enim vox *παραπέτασμα* pariter siparium scenae obductum, atque velum theatro obtentum explicari possit? Apud Graecos *πέτασμα* et *περαπέτασμα*, aeque ac Latinorum *aulaeum*, de quovis *tapetio* vel *stragula veste* usurpantur, quibus, sive stratis, sive suspensis, sive desuper expassis, res quaecumque tegitur aut occultatur. Vide Aeschylum Agam. 918. Aristophanem Ran. 969. cum nota Spanhemii. Dionem Cassium XLIII. 24. LXIII. 6. cf. Dorvillium ad Charit. p. 628 ed. Lips. — Hesychius autem, Etym. M., Suidas et auctor Lex. Seguer. apud Bekkerum quum locis supra descriptis vocabulum *αὐλαία* interpretantur *τὸ τῆς σκηνῆς παραπέτασμα*, Pollucis verba, *ἔξεστι δὲ καὶ τὸ παραπέτασμα αὐλαίαν καλεῖν*, tantum non reciprocantes, sine ulla dubitatione *siparium scenae praetentum* intellexerunt. Haud prorsus absimili sensu vocabulo hoc utitur *Chariton* de Chaerea et Callirrhoë l. VIII c. 6. p. 186, 9. ed. Lips. *Πάντων δὲ ἀπορούντων, καὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς ἐκεῖ τετακότων, αἰφνίδιον εἱλκύσθη τὰ παραπετάσματα· καὶ ὤφθη Καλλιῤῥόη μὲν ἐπὶ χρυσηλάτου κλίνης ἀνακειμένη, Τυρίαν ἀμπεχομένη πορφύραν, Χαιρέας δὲ αὐτῇ παρακαθήμενος, σχῆμα*

edito: *Archaeologische Unterhaltungen. Erste Abtheilung. Ueber Vitruv.* Lipsiae 1820. 8. in quo haec leguntur p. 97. „*Aulaeum*, das überhaupt einen Teppich bedeutet, wird insbesondre von dem Vorhange vor der Bühne gebraucht. *Παραπέτασμα* ist das Tuch, das, als Decke über Theater und Amphitheater gespannt wurde." Et pag. 98 sq.: „Obwohl diese Portiken (*in theatris Romanis*) zum Schutz der Zuschauer bei schlechtem Wetter dienten, so hielt man sie doch nicht für hinlänglich, sondern überspannte das Theater mit einem Teppich. *Dass schon die Griechen dieses Teppichs sich bedienten, wird aus der griechischen Benennung παραπετασμα wahrscheinlich, so wie aus dem Orte seines Ursprungs, der ohne Zweifel Grossgriechenland oder Sicilien war*, da der Teppich in den letzten Zeiten der Republik aus Campanien nach Rom kam."

t) Vid. Encycl. d. bürgerl. Bauk. T. IV. p. 542. 566. 588.

ἔχων στρατηγοῦ. Quae hic παραπετάσματα vocat, paullo ante (p. 185, 21) περιπετάσματα appellaverat *u*). Utramque vocem, quamquam non eadem utrique vis, saepius tamen permutari a scriptoribus *x*), animadvertit *Dorvillius* ad Charitonem p. 628. *y*) Cf. Eustathium ad Iliad. Θ. p. 612, 23. ed. Basil. (722, 22. Rom.), item ad Iliad. E. p. 408, 3. Bas. Translato sensu, de interiore veste, qua corpus tegitur, dictum vides apud Alciphronem rhetorem in Epp. I. 39. p. 59. Οὐ γὰρ διὰ παραπετασμάτων ἐγώ, φησιν, ἀγωνίσομαι, οὐδ᾽ ἀκιζομένη (Berglerus vertit *nec tergiversando*), ἀλλ᾽ οἷον ἐν γυμνικῷ. Plura loca suppeditabunt Dorvillius l. l. et Steph. in Thes. T. III. p. 253. Ex iis quae attulimus iam hoc, opinor, constabit, in ipsa voce παραπέτασμα nihil quaeri posse, quo alterutra verbi significatio certa rataque fiat. Enimvero quum paullo diligentius consideramus tum verba Pollucis, Ἔξεστι δὲ καὶ τὸ παραπέτασμα αὐλαίαν καλεῖν, ab aliis Lexicographis, quos excitavimus, inverso tantum ordine, et cum additamento τῆς σκηνῆς repetita, tum Hyperidis illud fragmentum, ab Onomastici auctore firmandae interpretationi suae adhibitum, neque a Suida et Lexici Segueriani auctore non commemoratum: Ὑπερίδου εἰπόντος ἐν τῷ κ. Π. οἱ δὲ ἐννέα ἄρχοντες εἱστιῶντο ἐν τῇ Στοᾷ, περιφραξάμενοι τὶ μέρος αὐτῆς αὐλαίαις vix dubitare licet, quin Pollux, hoc quidem loco, vocem παραπέτασμα expositurus, *de velo sive aulaeo, quo scena ante et post fabularum commissionem operiri solebat*, cogitaverit. Αὐλαίαν unde Latinorum *aulaeum*, hoc maxime sensu poni, ex Hesychio, Suida, Etymologico M., aliis, ante laudatis, satis notum est *z*); et Hyperidis verba modo descripta vix aliter quam de aulaeis intelligi possunt, quibus pars Stoae, convivio Archontum destinata, circum occlusa, a reliqua porticu quasi septo quodam separabatur. Quodsi quaeris, an Graecis in theatris talia scenae operimenta usitata fuerint, rem amplius cognoscendam, certe ex Polluce, qui Romanorum morem respicere potuit, confici haud posse, respondebo. Aliter quidem nuper visum est Cl. *Genellio*, qui unius Pollucis auctoritate usus, aulaeum in Atheniensium theatro duplici vel consilio adhibitum fuisse docet, primo, ne scenam prius, quam necesse erat, populus in theatro sedens conspiceret, deinde, ut, progrediente fabula, si opus esset, scena mutaretur *a*). Sed aliud est, scriptorum fidem diligenter explorare, aliud, meris duci coniecturis.

u) *Εἰσέπλευσεν οὖν τριήρης ἡ Χαιρέου πρώτη. εἶχε δὲ ἐπάνω σκηνὴν συγκεκαλυμμένην Βαβυλωνίοις περιπετάσμασιν.*

x) Apud Dionem Cassium tamen XLIII. 24. et LXIII. 6. in tribus edd. quas consului (Rob. Steph. 1548. Henr. Steph. 1591 et praestantissimam Reimari) παραπετάσματα legitur, non περιπετ. ut tradit Stieglitzius l. l. p. 589.

y) „Aeterna in his (verbis) confusio: et sane περιπέτασμα et παραπέτασμα idem non sunt: in genere tamen ista vela, tapetes, παραπετάσματα dicuntur passim, et casibus singularibus sit locus περιπετάσμασι."

z) „*Αὐλαῖαι*, ait Perizonius ad Aeliani V. H. IX. 3. T. I. p. 528., dicebantur vela, aut simile quid, quod expandebatur ad locum aliquem occludendum. Hinc vel maxime invaluit hoc vocabulum in scena. Hesychius exponit τὸ τῆς σκήνῆς παραπέτασμα. Similiter Suidas, qui tamen etiam ex Polybio loca affert, in quibus ponitur pro velo, quo clauditur tabernaculum regis."

a) Vid. *Theater zu Athen* p. 54. Cf. *Stieglitzium* in *Archaeolog. Unterhaltungen* T. I. p. 97. not.

Vestri autem causa, Commilitones ornatissimi, nunc demum tollendum, vel potius, ut Romanorum more loquamur, premendum est aulaeum. Etenim in scenam iam prodire gestiunt Artes, Bonaeque Litterae et Disciplinae, sororio iunctae amore, vosque blandis compellare vocibus, ut dulci earum consortio adscripti, in omni humanitatis parte perficiendi vos acerrimo studio ad summam laudem contendatis, aurea illa parentis ad filium abiturum mandata animis vestris penitus infigentes:

Αἰὲν ἀριστεύειν, καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων.
Μηδὲ γένος πατέρων αἰσχυνέμεν, οἱ μέγ᾽ ἄριστοι
— — — ἐγένοντο. b) — — —

b) Hom. Il. VI. 208-210. *Prima semper laudis praemia referre, et super alios excellere. Neque nomen dedecorare maiorum, qui inter suos aequales longe praestiterunt.*

I.

PRAELECTIONES PHYSICORVM ET MATHEMATICORVM.

ANDREAS SNIADECKI, Ph. ac Med. D., a Cons. Status, Chemiae Prof. P. O. Elementa Chemiae Universae ad Institutionum suarum ultimam editionem, novis additamentis auctam, exponet, experimentisque ac demonstrationibus in publico Laboratorio firmare conabitur diebus Lunae, Martis, Iovis et Veneris ab horae XI[mae] dimidio ad XII.

B. STANISLAVS IVNDZIŁŁ. Phil. et Theol. D., Reg. Soc. Philomath. et Oecon. Vars., Caesar. Societ. Mosqu. Scrutat. naturae Sodalis, Botanices et Zoologiae Prof. P. O. diebus Lunae, Martis, Iovis et Veneris ab hora II ad IV[tae] dimidium, primo Zoologiam universam ita tradet, ut notionibus de natura animalium generatim expositis, eorumque classibus et ordinibus ad recentissimas virorum doctorum animadversiones descriptis, genera omnia et species singillatim percenseantur, eorumque, maxime indigenarum, patria, mores, usus etc. indicentur. Deinde Botanices doctrinam expositurus, praemissa brevi disciplinae huius historia, 1. Elementorum a se vulgatorum ductu Physiologiam vegetabilium explanabit; 2. Terminologiam botanicam docebit totam; 3. Varia, quae dicuntur, systemata, ad scientiae huius studia allevanda iuvandaque a viris celeberrimis excogitata, suo iudicio interposito, enarrabit, rationem Linneanam prae ceteris diligenter penitusque cogniturus. 4. Denique plantarum generum ac specierum ad methodum sexualem determinationem ostendet, tum Horti Botanici copiis adhibitis, tum excursionibus botanicis una cum auditoribus suis usurus.

MICHAEL POLINSKI, Ph. D., Acad. Florent., Luc., Patav. et Soc. Philom. Paris. adscriptus, Matheseos Sublimioris Prof. P. O., diebus Mar., Mer., Ven. et Sat. ab horae VIII[ae] dimidio ad IX Mathesin sublimiorem tradet duce Lacroix.

Idem Mercurii et Satur. diebus hora II ad III pomerid. Geodesiam sublimiorem explicabit.

IGNATIVS HORODECKI, Phil. D., A Consil. Aul., Univers. Adjunctus, Societ. Med. Paris. Sodalis, Solis, Mercurii et Saturni diebus, ab hora II ad IV, Mineralogiam ad ultimum Wernerianum systema traditurus, nova

Mineralia, in hoc systemate et in Oryctognosia Hoffmanni descripta, adiiciet. Absoluta historica parte Mineralogiae, praecipue de variis divisionibus systematicis mineralium et theoriis Geologiae, sive hypothesibus cosmologicis, neptunicis, vulcanicis et plutonicis, de formatione montium et venarum, tractabit Terminologiam characterum propriorum solidis, friabilibus, fluidis et aëriformibus, cum demonstratione in exemplis colorum et figurarum, etiam elementorum Crystallographiae Werneri et Hauii; postea de figuris organicis seu petrificatis et impressis, de fractura, rasura, ceterisque signis externis et internis disseret. Demonstratis his characteribus, aggredietur systematicam demonstrationem mineralium simplicium sive Oryctognosiam, quantum fieri poterit, applicatam ad usum et Geologiam. Oryctognosiam excipiet Geognosia, sive demonstratio mineralium compositorum, quae constituunt in stratis varios montes, et quorum fragmenta, ad demonstrationem huius rei apta, in locis adiacentibus Vilnae exstant.

CAIETANVS KRASSOWSKI, Phil. D., a Cons. Aul., Univers. Adjunctus, Merc. et Satur. diebus, ab horae XI dimidio ad XII, Martis vero, Jovis et Veneris, hora IV. pomerid. Oeconomiam ruralem duce Thaerio tradet.

FELIX DRZEWINSKI, Phil. D., Univers. Adjunctus, diebus Lunae, Merc., Jov. et Satur. ab hora IX ad XI^mae^ dimidium Physicam experimentalem ad dictata sua, typis propediem vulganda, exponet.

CAROLVS PODCZASZYNSKI, Phil. Mag., Univers. Adjunctus, Architecturae generalia praecepta ad Durandii methodum diebus Lunae et Jovis ab horae VIII^vae^ matutinae dimidio ad IX, Martis vero et Veneris a IX ad XI^mae^ dimidium tradet. Praecepta vero ubique excipient exercitationes graphicae, ad eum finem suscipiendae, ut tum variorum aedificii elementorum forma et reciprocus positus in proiectionibus effingantur, tum plurima exemplaria conjunctionum, aedificii partes constituentium, brevi et compendiaria via in tabulas transferantur, tum denique postulatorum varii generis aedificiorum idonea specimina adumbrentur.

ANTONIUS WYRWICZ, Phil. D., diebus Lunae et Jovis ab hora VIII ad IX., Martis autem et Veneris a IX ad XI^mae^ dimidium, universae Algebrae principia, Joanne Sniadeckio duce, exponet. Deinde Geometriam Analyticam ad praecepta Bioti in vernaculum sermonem a se translata tradet.

VALERIANVS GORSKI, Phil. D., Societati Parisiensi ad augendam civium industriam constitutae adscriptus, ex itinere propediem reversurus, Mechanicam practicam docebit diebus horisque subinde designandis.

ANTONIVS SZAHIN, Phil. Mag., Merc. et Satur. diebus ab horae XI dimidio ad XII, Astronomiam Jo. Sniadeckio Bioto et Delambrio ducibus, docebit.

Diebus Mart. Jov. et Sat. ab horae XI^{mae} dimidio ad XII. Topographiam rationemque positionum geometrice delineandarum, ad usus civiles, oeconomicos et militares accommodatam, docebit Magister ad hoc munus designatus.

II.

PRAELECTIONES MEDICORVM.

FERDINANDVS SPITZNAGEL, Med. et Ch. D., Status a Consiliis, Caes. Soc. Mosqu. Scrut. Nat. et Medic. Viln. Sodalis, Therapiae generalis et Materiae Medicae Prof. P. Emeritus, diebus Lun., Mart., Jovis et Vener. ab horae XI matut. dimidio usque ad XII, primo Therapiam docebit generalem, quacum Materiam Medicam generalem et Pharmacocatagraphologiam, seu methodum formulas medicas praescribendi, conjunget. His absolutis, in Materia medica speciali tractabit singula corpora medica plus minus usitata, copiosius autem de iis disseret, quae in potioribus Europae pharmacorum officinis, maxime vero in pharmacopoea Rossica et pharmacopoea castrensi Ruthenica asservata prostant Postremo Toxicologiam sive doctrinam de venenis exponet, eorumque noxam, antidota, et, si quis est, in re medica usum ostendet.

AVGVSTVS BECU, Phil. et Med. D., a Consil. Collegior., ordinis S. Vladimiri IV classis Eques, Caes. Soc. Medicor. Vilnensis, Reg. Soc. Vars. et Jenner. Londin. Sodalis, Pathologiae et Hygienae Prof. P. O. diebus Lun. Mercur. Jov. et Sat. ab hora IX usque ad XI^{mae} dimidium, exponet Pathologiam generalem et specialem, sua elementa secuturus; mensibus autem aestivis, diebus et horis serius designandis, praemissis Anatomiae et Physiologiae popularis praeceptis, Hygienam docebit, Clericorum Seminarii generalis Vilnensis usibus praecipue accommodatam, cui Politiae medicae capita nonnulla, quantum in eorum rem fuerit, subjunget.

JOSEPHVS FRANK, Phil. et Med. D., Status a Consiliis, Collegii praefectorum rei medicae, pluriumque Societatum litteratarum per Europam florentium Sodalis, ordin. S. Annae II et S. Vladimiri IV classis Eques, Therapiae specialis et Clinices Medicae Prof. P. O., quotidie ab hora VIII matutina ad IX, in nosocomio clinico doctrinam medicam curandis morbis aptabit, tradetque sexies per hebdomadem, ab hora IX ad X, ad praecepta sua praxeos medicae, eam Therapiae specialis partem, quae ad febres et morbos cutis, cerebri, sensuum, medullae spinalis, nervorum, tracheae, pulmonum vasorumque sanguinis circulationi inservientium spectat. Neque deerit clinicis occupationibus in nosocomio hora V ad VI vespertinam.

LVDOVICVS HENRICVS BOIANUS, Med. et Chir. D., Coll. a Cons., ord. S. Annae II. cl. et S. Vlad. IV cl. Eques, Caes. Acad. Scient. et Med. Chir. Petropolit., Reg. Scient. Acad. Svec., Soc. Nat. curios. Mosqu. aliisque soc. litt. adscriptus, Veterinariae Medicinae et Anatomes comparatae Prof. P. O. 1) diebus Lun., Mart., Jov. et Vener. ab horae II^{ae} dimid. ad III. Veterinariae Medicinae praecepta tradet. 2) opera in Instituto practico veterinario tractanda diriget, ex iisque, quae huic consilio idonea visa fuerint, in praelectionum usum convertet. 3) Anatomes comparatae lectionibus, diebus Merc. et Sat. iisdem horis habendis, protozoorum, polyporum, animalium radiatorum et molluscorum, vermium intestinorum et exterorum, insectorum, crustaceorum, arachnidum, piscium, amphibiorum, avium, denique mammalium fabricam exponet, eamque ipsorum animalium sectione, vel praeparatorum, in Museo zootomico suis curis collectorum, ope illustrabit; in auxilium vocatis, ubi necesse fuerit, lineamentis in tabula nigra ducendis.

VENCESLAVS PELIKAN, Med. et Chir. D., Caesar. Med. Chir. Acad. Potropol. Socius litterarum commerciis conjunctus, Caes. Soc. Medicor. Vilnensis Sodalis, Chirurgiae, Clinices Chirurgicae et Medicinae forensis Prof P. O., diebus Lun., Mart., Jov. et Vener. ab horae VIII dimidio ad IX, Chirurgiam universam docebit. Expositis igitur disciplinae hujus argumento, utilitate atque nexu cum aliis medicinae partibus, ad tractanda singula capita Chirurgiae tum generalis, tum specialis accedet. Denique Operationes cruentas in cadaveribus demonstrabit. Mensibus vero aestivis, diebus et horis serius designandis, Medicinae forensis praecepta tradet. Praeterea in Nosocomio clinico chirurgico quotidie hora X matutina, disciplinae suae alumnos, quomodo doctrinam studio comparatam usu confirmari oporteat, exemplis docebit.

Idem Mercurii et Saturni diebus, ab horae XI dimidio ad XII. Veneris autem ab hora II pomeridiana ad IV^{ae} dimidium, Anatomiae humanae lectiones habebit.

NICOLAUS MIANOWSKI, Phil., Med. et Chir. D., a Cons. Aulae, Caesar. Societ. Med. Vilnensis, atque Reg. Societ. Philomathicae Varsaviensis Sodalis, Artis Obstetriciae Prof. P. O., Ordinis medicorum h. t. Decanus, lectiones a se habendas ita disponet, ut 1) virilis sexus discipulis per totum annum, quem vocant scholasticum, Mercur. et Saturn. diebus, ab horae VIII^{ae} matutinae dimidio ad IX, universae artis praecepta, Froriepio duce, tradat, et doctrinam de morbis praegnantium et puerperarum, nec non de iis recens natorum, in quantum artis obstetriciae res est, explicet. 2) Feminis, obstetricum munere in Imperio Rossico fungendi potestatem quaerentibus, item bis per hebdomadem, Martis et Veneris diebus, ab hora IX matutina usque ad XI^{ae} dimidium elementa in obstetricum usum a se Vilnae edita exponat. Praeterea artis obstetriciae

exercitationes in Nosocomio Academico, in utriusque sexus auditorum gratiam rite moderabitur

IOANNES WOLFFGANG, Phil. D., a Cons. Aulae, Caes. Soc. Med. Viln. et Reg. Oeconom. Vars. Sodalis, Pharmacologiae et Pharmaciae Prof. P. E. diebus Lun., Mart. et Jov. ab h. II ad IV^{ae} dimidium, priore semestri, praemissa brevi utriusque disciplinae historia, tradet doctrinam de medicamentis simplicibus s. Pharmacologiam; altero vero perget ad doctrinam de medicamentis compositis seu Pharmaciam explicandam, experimentisque in laboratorio pharmaceuticis illustrandam atque firmandam.

MICHAEL HOMOLICKI, Med. D., Caes. Soc. Med. Vilnens. Sodalis, Universitatis Adiunctus, Physiologiam docebit diebus Mart. Jov. et Ven. ab horae VIII matutinae dimidio ad IX. Universa de vita doctrina ad Andreae Sniadeckii V. Cl. Theoriam corporum organicorum strictim tradita, Physiologiam corporis humani uberius exponet, inque singulis functionibus accuratius tractandis rerum ordinem a Bichatio institutum, a Sprengelio autem, Lenhoszekio, Richerando et Magendio perfectum, servabit; potiora tamen huius disciplinae principia ad Andr. Sniadeckii in laudato opere sententiam explicabit. Cuncta vero physiologiae hominis praecepta et animadversionibus et experimentis doctissimorum virorum, qui nostra potissimum aetate inclaruerunt, confirmanda vel locupletanda, et observationibus, quas Anatomia comparata suppeditabit, passim illustranda curabit.

VINCENTIVS HERBERSKI, Med. D., Caes. Soc. Med. Viln. Sodalis, Universitatis Adiunctus, Professoris Clinices medicae Adiutor, quum primum ex itinere Vilnam reversus fuerit, studiosorum in nosocomio clinico exercitationes propius inspiciet et diligenter inviset.

CONSTANTINVS PORCYANKO, Med. et Ch. D., Caes. Societ. Med. Vilnens. Sodalis, Professoris Chirurgiae et Clinices chirurgicae Adiutor, Vniversitatis Adiunctus, diebus et horis designandis, tum fasciarum machinarumque chirurgicarum usum ostendet, tum in nosocomio clinico chirurgico studiosorum occupationibus aderit, repetitionesque chirurgicas instituet.

ADAMVS BIELKIEWICZ, Medico-chirurgus, Prosectoris Anatomiae vicarius, repetitiones anatomicas diebus et horis designandis instituet, atque studiosorum operam in dissectionum anatomicarum periculis faciendis moderabitur.

III.

PRAELECTIONES IN ORDINE PROFESSORVM DISCIPLINARVM ETHICO-POLITICARVM.

ALOYSIVS CAPPELLI, Phil. et Iur. Vtr. D., a Consil. Colleg., Iuris Romani, Poenalis et Ecclesiastici Prof. P. O.,

diebus Lunae et Jovis ab horae XI^{mae} dimidio ad XII exponet Jus Romanum. Diebus vero Mercurii et Saturni, eadem hora, tradet Jus Poenale, et diebus Martis et Veneris ab hora XI ad XII Jus Canonicum.

Idem diebus Mercurii et Saturni ab hora V ad VI Linguam et Litteraturam Italicam docebit.

IOANNES CANTIVS CHODANI, Theol. D., Canonicus Cathed. Vilnensis, Theologiae Moralis et Pastoralis Prof. P. O., Ordinis Proff. Disciplinarum Ethico-politicarum h. t. Decanus, diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris ab horae X^{mae} dimidio ad XI^{mam} Theologiam Pastoralem ad sua dictata docebit.

ANDREAS KŁĄGIEWICZ, Phil. et Theol. D., Can. Vilnen. Theologiae Dogmat. et Historiae Eccl. Prof. P. O. diebus Martis et Mercurii ab hora VIII matutina ad IX et dimidium, duce clar. Engelberto Klüpfel, Institutiones Theologiae Dogm. traditurus, de viis et rationibus consequendae felicitatis a Christo nobis partae, in quibus praecipuo loco habentur Verbum Dei, Gratia et Sacramenta, accuratius disseret. Denique doctrinam de Extremis seu novissimis quae hominem manent post mortem exponet.

Idem iisdem horis, sed Jovis et Veneris diebus, historiam Ecclesiae Christianae inde a medio aevo usque ad nostra tempora enarrabit duce cl. Dannenmayero, graviora autem rerum capita, praesertim in SS. Conciliis tractatarum, copiosius ad sua dictata explicabit.

IOANNES ZNOSKO, Phil. D., Reg. Societ. Philomath. Varsav. Sodalis, a Cons. Colleg., Oeconomiae politicae Prof. P. O., diebus Lunae, Merc. Jovis et Satur. ab horae VIII dimidio ad IX. 1. Oeconomiam politicam proprie sic dictam, atque doctrinam de reditibus publicis ad Elementa vernaculo sermone a se vulgata enarrabit, rationem Adami Smith potissimum explicaturus, adiectis recentiorum hac de re scriptorum opinionibus. 2. Duobus mensibus aestivis rei mercatoriae disciplinam tradet duce Büschio.

IOACHIMVS LELEWEL, Phil. D., Reg. Societ. Philomathicae Vars. Sodalis, Historiae Universalis et Statisticae generalis Prof. P. O. sexies per hebdom., praemissa de artis historicae notione ac praeceptis, de Statistica, de Critica historica, de ceteris disciplinis historiae studium adiuvantibus doctrina, Historiam universalem enarrabit, in antiquioribus ad suum librum, Dzieie starożytne Vilnae 1818 vulgatum, in recentiorum temporum memoria duce Heerenio. Idem binis per hebdom. horis subinde designandis Statisticam generalem tradet, populorum in australi Europae parte habitantium maxime habita ratione, quorum etiam res, recentioris potissimum aevi, copiosius et accuratius exponet.

IGNATIVS DANIŁOWICZ, Jur. Civ. Mag. Univ. Adiunctus, Jus Criminale Imperii Rossici diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris, ab hora III ad V^{ae} dimidium traditurus,

1) Naturam, indolem atque partitionem delictorum et poenarum ad sua dictata generatim exponet. 2) de delictis eorumque poenis singillatim aget, secundum ordinem et rationem a Cel. Feuerbachio adhibitam, additis quae de quolibet delicto patriis legibus sanciuntur; 3) Processum civilem nostratem enarrabit.

MICHAEL BOBROWSKI, Theol. et Phil. Mag., quum primum ex itinere reversus fuerit, exegeticas S. Scripturae scholas aperiet. In cuius vicem interea successurus Chrysostomus Gintyllo Theol. D., Prolegomena ad SS. libros Vet. Foed., Jahnio et Tobenzio ducibus, tradet diebus Lun., Mart., Jovis et Veneris h. III.

IGNATIVS ONACEWICZ, Phil. Mag., 1) doctrinam de Actis Publicis, Foederibus atque Conventis Populorum Regumque; 2) Statisticam Imperii Rossici exponet diebus et horis designandis.

ANGELVS DOWGIRD, Schol. Piar., Theol. Mag., Martis, Merc. et Ven. diebus, ab horae VIII^vae matut. dimidio ad IX, Philosophiae theoreticae et practicae praecepta tradet ad eam sententiam et ordinem, quem in libello suo, vernaculo sermone conscripto, ac nuper edito, De Logica Metaphysica et Philosophia morali Dissertatio Vilnae 1821. 8. secutus est.

Iuris Naturae et Gentium lectiones serius indicentur.

IV.

PRAELECTIONES IN ORDINE PROFESSORVM LITTERATVRAE ET ARTIVM ELEGANTIORVM.

GODOFREDVS ERNESTVS GRODDECK, a Consil. Colleg., Ord. S. Vlad. IV. cl. Eques, Linguae et Litterar. Graecar. et Romanar. Prof. P. O., Ord. Proff. Litteraturae et Artium elegantiorum h. t. Decanus, quater per hebdom. hora X. matut. Sophoclis Electram, Trachinias, Philoctetem, et Xenophontis Memorabilia Socratis; hora II. pom. sexies Horatii Carmina Lyrica et Taciti Annales enarrabit. Bis, Merc. et Sat. diebus, hor. X. matutina, Encyclopediae philogicae partem secundam, historicas antiquitatis disciplinas maxime continentem, ad sua dictata tradet.

IOANNES RVSTEM, a Cons. Aul., Picturae et Artis delineandi Prof. P. O., quotidie ab hora V vespertina ad VII. regulas Artis delineandi tradet et explicabit, discipulos quoque in formis ducendis ad lampadis lucem, tam ex antiquis quam anatomicis figuris, deinde de vivo exemplari, provectiores autem in arte pingendi exercebit.

IOANNES PINABEL, a Cons. Aul., Ord. S. Vlad. IV cl. Eques. Linguae et Litteraturae Gallo-Francorum Prof. P. E. diebus Lun. et Mer. h. III-IV., Mart. autem et Ven. h. IV V pomer. 1) linguae et prosodiae Gallo-francorum elementa tradet. 2) litterarum elegantiorum huius gentis historiam enarrabit, ducibus Batteusio, Marmontelio et Laharpio. 3) vertendo in linguam Gallicam et recitando pulcherrima laudatissimorum scriptorum loca tum styli exercendi tum pronunciationis emendandae auditoribus copiam faciet.

LEO BOROWSKI, Phil. M. Poëseos et Eloquentiae Prof. P. E., Poëseos et Eloquentiae theoriam tradet quater per hebd. Lun. Mart. Jov. et Sat. diebus, ab horae IX dimid. ad X. Principiis, ad quae recentiores philosophi sensum pulchri et recti homini innatum exegerunt, ad artem dicendi applicatis, omnem artem oratoriam certioribus limitibus circumscribet, eiusque partes distinguet. Selecta exempla, e poëtarum, oratorum, aliorumque auctorum scriptis depromta praeceptis subiunget, scribendi exercitationibus studiosorum haud defuturus.

SIMON FELIX ZVKOWSKI, a Consil. Aul., Adiunctus Univ. Lun. Mart. et Satur. diebus ab horae VIII^{vae} mat. dimidio ad IX. 1) Archaeologiae Biblicae partem priorem Jahnio duce exponet. 2) Hebraici sermonis studiosis extrema Exodi inde a Cap. XXIX, provectioribus autem Psalmorum libri carmina selecta interpretabitur.

Idem diebus Martis et Saturni ab horae XI^{mae} dimidio ad XII. docebit elementa linguae Graecae, et libellum Lucianeum, qui Κατάπλους ἢ Τύραννος inscribitur, explicabit.

BENIAMIN HAVSTEIN, a Cons. Aul., Ordinis Reg. Sax. civicis meritis dicati Eques, Univers. Adiunctus, Merc. et Ven. diebus, hora IV-V. Sat. autem die, hora I pomerid. Linguae Germanicae praecepta tradet, et discipulorum germanice scribendi exercitationes moderabitur, provectioribus vero historiam Litteraturae comicae exponet, Scriptorumque Germanorum qui in hoc genere excelluere, pariter atque operum, quae condiderunt, notitiam dabit.

Idem diebus Lun. Merc. et Ven. hora I Linguae Anglicae praecepta tradet.

JOANNES DAVID HOLLAND, Lun. Merc. et Vener. diebus, hora III-IV Musices veteris et recentioris disciplinam tradet; doctrinamque de sonorum numeris (Contrapunct), de diversorum intervallorum usu, de sonorum figuris et dimidiatis (Cadences), de siglis continuis (General-Bass) et de compositione musica exponet, musicasque auditorum reget exercitationes.

CASIMIRVS JELSKI, Artium Magister, Sculpturae elementa tradet, tironumque in hac arte se exercentium studia reget diebus Lun., Merc. et Veneris ab horae XI dimidio ad XII.

STANISLAVS HRYNIEWICZ, Lun. Mart. et Jov. diebus h. I. pomerid. Salustii bellum Jugurthinum et Terentii fa-

bulam, quae Adelphi inscribitur, vernacula lingua explicabit: Saturni autem die eadem hora, studia Auditorum ad eximia Scriptorum latinorum loca in patrium sermonem accurate et eleganter transferenda convertet regetque.

Artes Gymnasticas, quum equitationis et saltationis, tum rudibus vel pugnatoriis armis batuendi, publice docebunt harum Artium Magistri, diebus et horis designandis.



Bibliothecam Academicam aperient quotidie, Solis ceterisque festis diebus exceptis, hora III-V. Godofr. Ern. Groddeck Bibliothecae Acad. Praefectus, et Adiutores Casimirus Kontrym a Cons. Aul. et Simon Felix Zukowski a Cons. Aul. Vniversitatis Adiuncti.

